

tat eam. Et comprobatur, quia si necessitaret, hoc non faceret nisi volendo. Dico quod vellet tunc; talis enim necessitas proveniret ex impressione alicujus formæ, quæ nunc non imprimitur, id est gratia consummata, vel ex aliqua motione Dei speciali, qua nunc non movetur. Ex quibus duo colliguntur, quæ maxime ad rem nostram faciunt. Unum est: si Deus imprimat voluntati formam vel motionem ex qua necessario sequatur operatio in voluntate, illa erit necessitas excludens libertatem, licet sit in sensu composito, seu ex suppositione motionis divinæ; quia illa motio esset antecedens et non libera. Secundum est, Deum nunc non dare homini hanc motionem, ne illam necessitatem. Sed hunc locum arguens non obiit, et ideo oportet ulterius procedere.

Proponit ergo secundum argumentum contra eandem partem. Ille effectus dicitur produci necessario necessitate naturaliter præcedente, qui est causatus a causa, qua plene naturaliter præcedente, dicitur causa activa, qua posita, cum omnibus suis dispositionibus naturaliter præviis, quibus causat secum causatum, necessario et indefectibiliter sequitur illud causari. Istæ descriptiones habentur ex Anselmi libro: *Cur Deus homo*, cap. 3, et *Concord.* cap. 2: *Cum ergo per voluntatem suam sit causa efficiens omnis actus voluntatis creatæ, ut prior naturaliter omni voluntate creatæ, et frustrari non possit, sequitur quod omnis actus voluntatis creatæ producit ex necessitate naturaliter præcedente, imo voluntas creatæ agit necessitate naturaliter præcedente quidquid agit.* Ad hoc autem argumentum debuisset Capreolus respondere negando majorem, si crederet voluntatem divinam præcedere naturaliter, movendo et applicando inevitabiliter voluntatem creatam ad suum actum. Non negat tamen illam propositionem primam: sed potius acceptat responsionem quamdam datam ab arguente, similem illi quam supra ex Scoto retulimus, scilicet, quod voluntas Dei non infert necessitatem in effectum, quia simpliciter libera est; contra quam arguens sex objicit. Sed quatuor primæ, et quæ circa illas dicit Capreolus, nihil ad nostram causam faciunt. Quinta vero maxime, quia virtute continet argumentum quod nos supra contra Scotum faciebamus; verba replicantis sunt: *Quinto, quia si divina voluntas, quæ est nunc respectu alicujus futuri, posset pro nunc non esse illius voluntas, ut dicit responsio, hoc ta-*

men non est in potestate illius futuri, nec alicujus causæ inferioris, nec aliquarum causarum, sed tantum in libera potestate divinæ voluntatis, et ipsa est universaliter efficax et indefectibilis in causando, quare et necessitas antecedens respectu omnium futurorum. Verba autem Capreoli respondentis sunt: *Ad secundum dico quod, licet non sit in potestate causæ secundæ, quod prima causa vel divina voluntas sic vel sic causet, vel velit, aut determinetur ad hoc vel illud; tamen, quia aliquis effectus non procedit a causa prima nisi per secundam causam, ideo si causa secunda non necessario determinetur ad talem effectum producendum, sequitur a posteriori causam primam non necessario illum effectum causare, et ideo causa secunda non habet in sua potestate causalitatem causæ primæ, sed est illud sine quo effectus non subjicitur causæ primæ quandoque, quia Deus disponit se non produciturum talem effectum sine causa secunda libere causante.* In his profecto verbis non dicit Capreolus Deum prædeterminare voluntatem, salva ejus libertate, sed potius dicit, ut salvet libertatem non prædeterminare illam, et a posteriori colligit si causa secunda non necessario determinetur ad talem effectum producendum (quod supponit contingere quoties libere agit), tunc non procedere antecedenter et causaliter a voluntate absoluta et efficaci, qua Deus voluit absolute illud causare, sed a voluntate includente tanquam conditionem necessariam causalitatem liberam causæ secundæ; quod nos maxime intendimus.

Sed fortasse non est hic locus quem arguens citare voluit, quia refert solutionem ad secundum, et illa non est solutio ad secundum principale, sed ad secundam replicam secundi argumenti. Est ergo quintum principale argumentum sumptum ex quodam articulo Parisiensi, in quo omnis damnatur qui dixerit, ut omnes effectus sint necessarii respectu causæ primæ, non sufficere quod ipsa causa prima non sit impedibilis. Respondet autem Capreolus: *Ad secundum dico quod articulus Parisiensis non petit nisi necessitatem immobilitatis vel suppositionis, vel necessitatem antecedentem illo modo descriptam sicut tetigit in solutione tertii, et hoc in comparatione ad primam causam, sed arguens aliud vult, scilicet, quod omnis effectus sic proveniat necessario a prima causa, quod non est in potestate alicujus causæ secundæ, quin ille effectus eveniat: quod negamus.* Igitur neque in

hac solutione ponit determinationem præviam ex parte solius Dei, quam non possit causa secunda impedire, imo hoc expresse negat. Et in solutione ad tertium principale, dixerat illam necessitatem, quæ naturalis est et antecedens, facere necessarium simpliciter, quod repugnat libertati. Explicans vero quæ sit illa necessitas antecedens, ait: *Non est aliud quam necessitas, qua aliqua causa sic causat, quod non est in potestate ejus non causare stantibus omnibus realibus dispositionibus quæ sunt in ea in ordine ad effectum.* At determinatio efficax dispositio realis est, unde si antecedenter est requisita ad effectum sine concursu libero voluntatis, et illa posita non est in potestate voluntatis non causare, plane inducit necessitatem antecedentem et repugnantem libertati, juxta Capreoli sententiam.

His accedit quod idem, cap. 2, distinct. 25, art. 3, ad 4 Scoti, ait, *voluntatem secundum se esse indeterminatam, et seipsam posse determinare ad exercitium actus.* Item adungere possumus alia testimonia quæ ex Capreolo nos adduximus, dict. lib. 1 de Auxiliis, capit. 14, in quibus ait causam primam non prius natura influere in effectum quam secundam, et ordinarium causandi modum causæ primæ cum secunda esse per coefficientiam cum ipsa voluntate, et non per specialem præmotionem Dei. Ac denique in 1, distinct. 38, quæst. 1, artic. 1, Scoti contra quartam conclusionem, docet causam secundam liberam modificare causam primam; et in 1, distinct. 40, art. 3, et sæpe alias tractando de concordia inter prædestinationem et libertatem, semper fugit suppositionem antecedentem quæ et in se libera non sit, et inevitabilem necessitatem inducat emanationis effectus, sed utitur semper tali sensu composito, in quo suppositio pendeat ex libertate; ergo, licet expresse et in propriis terminis non tractet de prædeterminatione physica, satis ex doctrina ejus colligitur repugnare cum principiis ejus.

Deinde Cajetanus, 1 part., quæst. 14, art. 13, et quæst. 19, art. 8, aperte docet causam primam non influere in effectum prius natura quam secundam, loquendo de propria prioritate causalitatis, sed solum prioritate independentiæ et perfectionis. Additque puerile esse intelligere illud axioma: *Causa secunda non agit nisi mota a prima, de motione prævia, quia constat intelligendam esse de cooperante concursu; talis enim (inquit) est*

cooperatio primæ causæ, de qua scriptum est, quod attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, juxta modum cujusque cooperans unicuique; unde in 1. 2, quæst. 109, art. 1, cum D. Thomas dixisset non posse creaturam in suum actum prodire nisi moveatur a prima, ait hoc dictum esse ad ostendendum quod non solum dependemus a Deo in esse et conservari, sed in operari; itaque ipso non cooperante operari non possumus. Excludit ergo necessitatem prædeterminationis ex vi dependentiæ essentialis.

Eodem modo sensit Conradus 1. 2, quæst. 27, artic. 1, ubi sic ait: *Causa prima non habet motionem præviam actioni creatæ voluntatis. Non enim, cum aliquid vult, oportet, antequam velit, præcedere motionem Dei.* Loquitur enim ex vi essentialis dependentiæ vel subordinationis quam causa secunda, sufficienter constituta in actu primo ad agendum, habet ad causam actualiter influentem. Nam si causa secunda imperfectas seu insufficientes habeat vires ad agendum, necessaria esse poterit prævia motio Dei, quæ illas compleat, vel suppleat, et ita contingit in operibus gratiæ de quibus nihil Conradus dixit, quia ad locum illum impertinebat. Sic etiam ibidem exponit quomodo causa prima dicatur attingere prius effectum quam secunda, dicens: *Deus solum habet motionem cooperativam, et prius attingit cooperando, quia intimius naturæ, et non quasi sit aliqua duratio naturæ.* Videri etiam potest idem Conradus 1. 2, quæst. 111, art. 2.

Præterea Hervæus in secundum, distinctione secunda, quæstione secunda, hoc attingens, ait: *Habere dominium sui actus, est habere in sua potestate determinatum suum actum ad hoc vel ad aliud, aut posse se determinare ad eundem in actum vel non eundem.*

Soncinas, lib. 9 Metaph., quæst. 17, ostendit late ad liberum actum necessarium esse ut voluntas prius natura sit in potentia contradictionis, ita ut, prius natura quam velit, possit non velle, nihilque sit in voluntate, prius natura spectata, quod sit necessario determinatum ad velle: *Alioquin (ait) ipsum velle non esset contingenter a voluntate, sed necessario.*

Denique Sylvester, in sexto proœmio Capreoli in secundum, distinctione vigesima quinta: *Concluditur (inquit) quod actus voluntatis elicitus, vel imperatus est a causa indeterminata, quæ seipsam potest determinare.*

In quibus et similibus locutionibus veritatem nostræ sententiæ supponunt, licet de illa ex professo non disputent.

Unum vero est, quod in horum auctorum doctrina difficultatem ingerere potest, quia ubi tractant de certitudine et efficacia divinæ providentiæ, et concordia illius cum contingentiæ et mutabilitate liberi arbitrii creati, adeo difficultate opprimuntur, ut dicant esse mysterium inexplicabile, ut videre licet in Cajetano, 1 part., quæst. 22, art. 4, ubi nec affirmare audeat effectum a Deo prævisum esse inevitabilem, neque etiam audeat negare, et ideo nec vitabilem neque inevitabilem putat esse dicendum, sed nescio quid neutrum, vel excellentius. Quod non placuit Ferrariensi, 3 contra Gent., cap. 94, neque immerito, cum illa duo immediatam oppositionem habeant, et ideo ipse fatetur esse inevitabilem. Quomodo autem contingens sit, non declarat nisi per generalia verba, scilicet, quia Deus prævidit utrumque, scilicet, ut eveniret effectus, unde habet inevitabilitatem, et ut contingenter eveniret. Unde supponere videtur Deum sua providentiæ prædefinire ac prædeterminare omnes hos effectus in particulari. Idemque videtur supponere Cajetanus, alioqui sufficientem rationem non haberet, ut illa difficultate tam graviter premeretur.

Respondeo, etiamsi nonnulli ex his auctoribus aliter fortasse senserint, nos nihil movere; tum quia multo major est auctoritas eorum quos hætenus retulimus pro nostra sententiâ; tum etiam quia ubi nulla necessitas cogit, non oportet neque expedit mysteria fidei novis difficultatibus involvere; tum denique quia istimet auctores mentem suam non satis declarant, neque de quo decreto divinæ providentiæ seu voluntatis loquantur, cum difficultatem inveniunt in eo componendo cum nostra libertate, an scilicet sit prædefinitio interna Dei, qua ex æternitate absolute et ex se statuit talem actum in tempore fieri, vel sit volitio prædeterminandi ad extra voluntatem creatam ad talem actum, vel sit tantum voluntas offerendi concursum suum, seu concurrendi quantum est ex se. Hic autem nos solum agimus de secunda voluntate, quam ipsi non satis declarant esse de necessitate providentiæ. Unde sine tanto labore difficultatem ab eis petitam expeditimus; nam de tertia voluntate fatemur esse necessariam ad divinam providentiâ, negamus tamen inde sequi effectum esse inevitabilem, quia voluntas illa non est absoluta, sed conditionem in-

volvit. Secundam autem voluntatem negamus esse necessariam vel possibilem, salva libertate humanorum actuum. Nec pertinere potest ad providentiâ Dei ut velit duas proprietates, immediatam contradictionem involventes, simul conjungi in eodem actu, quales sunt antecedenter posse non facere illud, et antecedenter non posse vitare illud; prima enim necessaria est ad libertatem actus, secunda vero necessario sequitur ex inevitabilitate per physicam prædeterminationem. Et sic absolute negamus hos effectus divinæ providentiæ esse hoc modo inevitabiles. De prima vero voluntate negamus imprimis esse necessariam circa omnes et singulorum actus, qui cadunt sub divina providentiâ, ut maxime patet in actibus peccaminosis, circa quos nec datur talis voluntas Dei, nec dari potest, non propter contingentiam, sed propter malitiam quam adjunctam habet. Fatemur tamen illam voluntatem esse possibilem circa bonos actus, salva contingentia eorum; quia licet, posita illa voluntate, certo et infallibiliter futuri sint, non tamen sunt simpliciter inevitabiles a causa secunda, sed solum certo non evitabuntur ex sapienti directione divinæ providentiæ. Et licet in sensu composito possint dici inevitabiles, posita tali voluntate, illud ipsum est sine præiudicio libertatis; quia suppositio illa non est omnino antecedens, sed consequens ratione præscientiæ.

Quod ergo ad Cajetanum attinet, videtur certe loqui de voluntate tantum præfiniente in divina intentione, nam, de voluntate concurrendi cum voluntate creata ad actum liberum, cum aliis in locis ipse doceat non esse prioritatem propriam naturæ et causalitatis inter concursum Dei, et influxum liberi arbitrii, plane sentit divinam voluntatem, sub hac consideratione, non se habere antecedenter, sed concomitanter ad liberum arbitrium creatum, nec decretum voluntatis divinæ, ut sic, quamvis æternum, esse omnino absolutum, et per se solum efficax alicujus effectus extra se, sed esse aliquo modo conditionatum et quasi expectans influxum liberæ causæ: atque ita non erat cur illa difficultate adeo premeretur. Igitur verisimile est præcipuam vim facere in voluntate præfiniente, quam ad minimum supponit esse possibilem circa nostros actus liberos, et saltem in tota latitudine providentiæ divinæ esse necessariam, quidquid sit, an etiam ad singulos actus requiratur, quod illi attribuire non possum, quia nulli in ejus doctrina lego, et de actibus sal-

tem malis non existimo posse cum probabilitate, imo nec cum pietate affirmari, et illud prius sufficit ad ingerendam difficultatem a Cajetano in præsentis loco tractatam. Quæ nos media conditionata scientia utcumque expendimus; Cajetanus vero nullam illius scientiæ mentionem fecit, atque adeo, neque ad hanc difficultatem expediendam illa usus est, ideoque nullum exitum nullamve intelligibilem responsionem illius difficultatis invenit. Quod non parum sententiâ nostram commendat. Neque auctoritas Cajetani cogit nos ut ejus difficultatibus involvamur.

De Ferrariensi autem, quamvis in dict. cap. nihil declaret, tamen ex his quæ dixerat eodem lib. tertio, cap. septuagesimo, satis constat eum posuisse in concursu primæ causæ, ut sic, motionem præviâ primæ causæ in secundam per aliquid inhærens ipsi causæ secundæ, quod vocat intentionem solam virtutis divinæ, habentis esse incompletum, per modum quo colores sunt in aere et virtus artis in instrumento. Unde sicut virtus artissolum est in instrumento quando artifex eo utitur ad operationem artis, ita hæc vis causæ primæ solum est in causa secunda quando actualiter operatur, tanquam divinæ virtutis instrumentum per eam ad opus applicatum. Quibus adjungendo quæ in altero c. 94 docet, plane sentit per hanc intentionalem vim inevitabiliter præmoveri liberum arbitrium creatum ad suos actus eliciendos. Nescio tamen an ille auctor præviderit innumera incommoda et absurda quæ ex illo dogmate sequuntur, et ideo excusandus potius est quam imitandus, præsertim cum nullum afferat solidum fundamentum quo nobis necessitatem illius intentionalis virtutis seu qualitatis persuadeat, sed solum affert testimonium quoddam D. Thomæ, in quæstionibus de Potentia, quod nos credimus in posterioribus retractasse, ut alio loco latius diximus.

CAPUT XLIII.

DE MODERNIS AUCTORIBUS, PRÆSERTIM QUI CONTRA HÆRETICOS SCRIPSERUNT.

Cogimur etiam de sententiâ horum auctorum pauca dicere, quia modernus quidam scripsit sententiâ illam de physica prædeterminatione receptam esse ab omnibus Theologis, tam antiquis quam recentioribus, exceptis quibusdam aretologis. Et iterum ait nullum Theologum hoc nomine dignum negasse sen-

tentiâ de physica prædeterminatione. Duo igitur breviter probabimus: primo, per nonnullos auctores modernos, quos ego in libris de Auxiliis adduxi, et nunc in contrarium citantur, discurremus; deinde nonnullos alios adjungemus.

Ut ergo sermonem de Thomistis prosequamur, utraque sententiâ conatur in suum favorem adducere M. Soto, quem ego retuli l. 1 de Natura et grat., c. 16, et nunc ab aliis in eodem loco pro contraria refertur. Sed profecto negari non potest quin et illud asserat quod retuli, et quod in eo plurimum nostræ sententiæ faveat. Dixi ergo illum asserere motionem, qua Deus concurrat ad actus nostros liberos, non procedere a voluntate ejus absoluta et beneplaciti de qua dictum: *Voluntati ejus quis resistet?* quod sine dubio fideliter allegatum est. Nam hoc modo solvit argumentum quod, si voluntas possit divino concursui resistere, posset etiam resistere divinæ voluntati. Respondit enim negando sequelam, intelligendo consequens de voluntate absoluta et beneplaciti cui homo non potest resistere. Nam quando Deus (inquit) cum libero homine concurrat, non vult illud fieri (utique absoluta voluntate beneplaciti) nisi salva humana natura et libertate (id est, sed inclusa tacita conditione: Si homo cooperari voluerit), et idcirco potest liberum arbitrium tunc resistere; quem locum ita explicuit et denuo confirmavit idem Soto, in fine 4 Sententiarum, ut annotavi latius lib. 3 de Auxiliis, cap. 13, in fine.

Ad hæc vero quæ ego adduxi, nihil ab aliis in particulari responsum est, neque etiam in speciali designant aut expendunt in eo capit. id in quo nobis repugnare ipsis videtur; fortasse id dicunt propter illa verba: *Non dubium quin concursus Dei sit cuicumque causæ secundæ requisitus ad agendum, imo vero et natura prærequisitus, quoniam non solum Deus est causa effectus secundæ causæ, sed etiam movet eam ad agendum.* Item quod inferius ait, opera gratiæ, quæ motum liberi arbitrii designant, non prius tempore a Deo quam libere a nobis, sed simul ab eo et a nobis fieri, ab eo tamen prius natura. Hæc autem et similia verba intelligenda necessario sunt juxta superiora et subsequenta, ne contradictio inter ea inveniatur. Nam inferius expresse ait non esse aliud me Deum hoc modo movere, quam mecum concurrere ad eliciendum liberum actum. Quod ergo ait, concursum Dei esse naturam priorem, intelligendum est juxta explicationem a Cajetano et